



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1652. usque ad annum 1662

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1779

VD18 90119185

§. 34. Friderici Cornelii Cardinalis extrema.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67372](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67372)

Sæc. XVII. A. C. 1653. mam ad eundem Pontificem decretus
 rubrum galerum, titulumque Ecclesie
 SS. Trinitatis in Monte Pincio obtinuit
 inde in Gallias reversus, cum Lugdu-
 nensis Urbs gravi pestilentia conflicta-
 retur, nullas boni Pastoris partes præ-
 termisit, ipsusque ægros sæpissime vi-
 sitans, moribundis Ecclesie Sacramenta
 Christiano proprii periculi contemptu
 administravit: tandem vero diuturno
 hydropisi confectus, bonis suis potissi-
 mam partem in egenos distributis, ac
 testamento relictis Lugduni die vigesi-
 ma tertia Martii pie, ut vixit, in Do-
 mino obiit, sepultus in Hospitali pau-
 perum Lugdunensium, cujus humili-
 tumulo sequens propria sua manu scri-
 ptum epitaphium apponi iussit:

Pauper natus sum,
 Paupertatem novi,
 Pauper morior,
 Inter pauperes sepeliri volo.

§. XXXIV.

*Friderici Cornelii Cardinalis ex-
 trema.*

*Thomas. in
 Elog. Victo-
 ræll. l. c.*

Tertius ex Purpuratis hoc anno de-
 natus erat Fridericus Cornelius pa-
 tria Venetus, qui eximius Literatorum
 fautor adhuc juvenis Palatium suum in
 Acte

Sæc. XVII.
A. C. 1653.

Academiam convertisse videbatur, annosque nonnisi viginti tres natus jam Doctoratus lauream, Pontificii Clerici dignitatem, Bergomensis Episcopatum ac denique Purpuram emeruit: Anno autem Christi millesimo sexcentesimo vigesimo primo ad Vicentinam, & demum ad Patriarchalem Venetorum Ecclesiam translatus, tot subinde Episcopatibus eo duntaxat sine honorari credebatur, ut ubique Pastoralis sui Zeli, liberalitatis, charitatisque specimina edere posset; quippe Vicentinam Ecclesiam Cathedralem sacro Reliquiarum thesauro ditavit, Venetam vero augustiore Palatio Patriarchali, Oratorio, Clericorum Collegio, Nobilium Academia, aliisque ædificiis auxit: præcipue vero Cleri, populique sui mores ad pietatis, & disciplinæ Ecclesiasticæ leges efformare intentus, cunctis exemplo præibat: unde ejus Aula in perpetuum virtutis gymnasium, & eruditi juxta ac pii Cleri Seminarium transmigrasse dicebatur: Ceterum optimus Princeps, clementissimus Parens, atque Antistes Vigilantissimus, senio ac meritis venerandus Romæ Albanensis Episcopus ab Innocentio X. anno hujus sæculi quinquagesimo secundo renuntiatus, altero post anno die quinta Junii deceiit, sepultus in Eccle-

Sæc. XVII. A. C. 1653. Ecclesia S. Mariæ de Victoria Carmelitarum Discalceatorum, ubi aram, & ante aram tumulum mortalitatis sue custodem vivus posuerat, atque in honorem Divæ Theresiæ elegantissimum Sacellum suo ære erexerat.

§. XXXV.

Fausti Poli Cosciæ Cardinalis decessus.

*Ughel. Ital.
Sac. Cia-
con. in vita
Urb. VIII.*

Hunc quarto post Mense sequebatur Faustus Polus Coscia patria Camers, qui post varios casus in patria sua exantlatos Romam profectus, ab Urbano VIII. Palatii Apostolici Præfectus, intimus Pontificis Cubicularius, & Amasiensis Archiepiscopus nominatus, ad comitandam Mariam Hungariæ Reginam Nuntius decernebatur. demum vero Cardinalium Collegio adscriptus, Urbevetanam Ecclesiam Episcopus per novem ferme annos summa vigilantia rexit, ubi etiam anno ætatis suæ septuagesimo septimo Purpuram cum vita exiit.

§. XXXVI.

Francisci Mariæ Machiavelli Cardinalis fata.

Sequen-